

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Zaringo Badensis

Schöpflin, Johann Daniel

Carolsruhae, 1765

LXXVIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295118)

propositum nobis recurrendum est, narrationem illius boni hominis prosequendo, cujus memoria in benedictione est, attendentes verbum Sapientis: Memoria justi cum laudibus, nomen vero impii putrescit. Vnde Tragœdiæ Ducis finem hic imponimus, in qua licet excessisse videamur, quia indignum huic inseruimus opusculo ad declarationem subsequendum, sed excusat illud Sapientis: Opposita juxta se posita magis elucescunt.

(~~~~~:)

LXXVIII.

LITERÆ HONORII III. PAPÆ AD EPISC. BASILEENS.
DE CONTENTIONE INTER HUNC ET BERTOLDUM V.
DUCEM ZARINGIÆ ORTA.

ANNO MCCXVII.


Ex Reg. Anni II. Literarum Honorii PP. III. tom. I. ep. 939.

Honorius Episcopus servus servorum Dei. Venerabili Fratri . . .
Basiliensi Episcopo salutem, & Apostolicam benedictionem.
Tua fraternitas intimavit, quod cum inter te, ac dilectum filium nobilem virum Ducem Zaringie super quibusdam possessionibus ad Ecclesiam Tuam spectantibus, quas W. Basiliensis Electus Predecessor tuus eidem in feudo dicitur concessisse contentio suborta fuisset, tandem, ut laboribus, & indempnitati Ecclesie parceretur in . . . Deca-

Cod. Dipl.

T

num, & . . . Prepositum Basiliensem, & alios, quos eisdem duceres adjungendos fuit a te, ac Duce prædicto, tamquam in Arbitros compromissum si noster super hoc interveniret assensus. Quare nobis humiliter supplicasti, ut cum per arbitrium ipsum credas Ecclesie cum commoda provenire, tibi super hoc providere misericorditer dignaremur. Quo circa fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus, quatenus non obstante juramento, quod de revocandis possessionibus, quas idem W. minus licite alienaverat corporaliter præstitisti arbitrium ipsum, si Ecclesie tue videris expedire, de licentia nostra subeas Capituli tui super hoc interveniente consensu. — Datum Laterani III. Idus Martii Pontificatus Nostri Anno secundo.



LXXIX.

BULLA AUREA FRIDERICI II. IMP. CIVITATI BERNENSI CONCESSA, IN QUA DE CONRADO ET BERCHTOLDO V. DUCIBUS ZARING. FRIBURGI IN BRISGOVIA ET BERNÆ CONDITORIBUS HONORIFICA FIT MENTIO.

ANNO MCCXVIII.

Fridericus Dei gratia Romanorum Rex & semper Augustus & Rex Sicilie; Dilectis devotis Sculteto consulibus & universis Burgenfis de Berno in Burgundia, gratia sua & omne bonum.